

gare eum : Tu quis es ? scientes , quia Dominus est.

13. Et venit Iesus , & accipit panem , & dat eis , & piscem similiter.

14. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.

IN VIG. APOST. PETRI ET PAULI. 15. Cum ergo prandissent , & dicit Simon Petro Iesus : Simon Ioannis diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam Domine , tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.

16. Dicit ei iterum : Simon Ioannis , diligis me ? Ait illi : Etiam Domine , tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.

17. Dicit ei tertio : Simon Ioannis , amas me ? Contristatus est Petrus , quia dixit ei tertio , Amas me ? & dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas.

18. Amen dico tibi : cum esses iunior , cingebas te , & ambulabas ubi volebas : cum autem senueris , extendes manus tuas , & alius te cinget , & ducet quod tu non vis.

19. Hoc autem dixit significans quam mortem clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset , & dicit ei : Sequere me.

20. Conversus Petrus vidit illum discipulum , quem diligebat Iesus , sequentem , qui & recubuit in cena super petus eius , & dixit : Domine quis est qui tradet te ?

21. Hunc ergo cum vidisset Petrus , dixit Iesu : Domine hic autem quid ?

22. Dicit ei Iesus : Sic eum volo manere donec veniam , quid ad te ? tu me sequere.

23. Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus : Non moritur. sed : Sic eum volo manere donec veniam , quid ad te ?


24. Hic est discipulus ille , qui testimonium perhibet de his , & scripsit haec : & scimus , quia verum est testimonium eius.

25. Sunt autem & alia multa , quae fecit Iesus : quae si scribantur per singula , nec ipsum arbitror mundum capere posse eos , qui scribendi sunt , libros.

SANCTI IOANN. APOST.

Supr. 13. 23.

Supr. 20. 30.



ACTUS

ACTUS APOSTOLORUM.

HUNC LIBRUM Syri Historiam Apostolorum vocant : Sanctus Chrysostomus , Librum dogmatum de Spiritu sancto : Oecumenius , Evangelium Spiritus sancti , quod in eo narrentur quae Spiritus instinctu , Apostoli maxime memoranda gesserunt. Hic cernitur miranda illa Ecclesia Christi infantia , eiusque in omnes Genes propagatio per Apostolos , & praecipue per Apostolorum Principes , Petrum & Paulum , cuius comes individuus & adiutor Lucas medicus Antiochenus , cum in Evangelio audita narrasset , hic visa memorat , eaque quorum ipse non testis modo , sed & minister aliquando fuit. De quo praclare Hieronymus : Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam & nascentis Ecclesiae infantiam texere : sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum , cuius laus est in Evangelio ; animadvertemus pariter omnia verba illius , animae languentis esse medicinam. Continet autem hic liber historiam annorum fere 30. a morte scilicet Christi , & anno Era nostra 33. ad biennium illud quod in libera custodia Roma consumpsit Paulus , quod nos ad annum Era vulgaris 63. extendendum putamus , ut ex notis ad marginem , nec non ex Chronologia nostra , legenti patebit.

CAPUT PRIMUM.

Hoc capite duo permagni momenti continentur ; Ascensio Christi Domini in caelum post quadraginta dies , & Matthiae electio.

IN DIE ASCENS.



Primum quidem sermonem feci de omnibus de Theophile , quae cepit Iesus facere , & docere

- 1. usque in diem , quae praecipiens Apostolis per Spiritum sanctum , quos elegit , assumptus est.
- 2. quibus & praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis , per dies quadraginta apparens eis , & loquens de regno Dei.
- 3. Et convalescens , praecipit eis ab Ierosolymis ne discederent , sed expectarent promissionem Patris , quam audistis (inquit) per os meum :
- 4. quia Ioannes quidem baptizavit aqua , vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos dies.
- 5. Igitur qui convenerant , interrogabant eum , dicentes : Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel ?
- 6. Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta , quae Pater posuit in sua potestate :
- 7. sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos , & eritis mihi testes in Ierusalem , & in omni Iudaea , & Samaria , & usque ad ultimum terrae.
- 8. Et cum haec dixisset , videntibus illis , elevatus est : & nubes suscepit eum ab oculis eorum.
- 9. Cumque intuerentur in caelum eun-

- tem illum , ecce duo viri astitērunt iuxta illos in vestibus albis ,
- 10. qui & dixerunt : Viri Galilaei quid statis aspicientes in caelum ? hic Iesus , qui assumptus est a vobis in caelum , sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum .
- 11. Tunc reversi sunt Ierosolymam a monte , qui vocatur Oliveti , qui est iuxta Ierusalem , sabbati habens iter .
- 12. Et cum introissent in coenaculum , ascenderunt ubi manebant Petrus , & Ioannes , Iacobus , & Andreas , Philippus , & Thomas , Bartholomaeus , & Matthaeus , Iacobus Alphaei , & Simon Zelotes , & Iudas Iacobi .
- 13. hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus , & Maria matre Iesu , & fratribus eius .
- 14. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul , fere centum viginti .)
- 15. Viri fratres , oportet impleri Scripturam , quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Iuda , qui fuit dux eorum , qui comprehendērunt Iesum :
- 16. qui connumeratus erat in nobis , & sortitus est sortem ministerij huius .
- 17. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis , & suspensus crepuit medius : & diffusa sunt omnia viscera eius .
- 18. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem , ita ut appellaretur ager ille , lingua eorum , Haceldama , hoc est , ager sanguinis .
- 19. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta , & non sit qui inhabitet in ea : & episcopatum eius accipiat alter .

Pro quo Syrus paraphr. 7. stadia.

SANCTI MATHIAE APOST.

Psal. 40. 10. Ioann. 13. 18.

Matth. 27. 7.

Psal. 68. 26.

Psal. 103. 8.

Yyyy 21. Opor-

21. Opórtet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Iesus,

22. incipiens à baptisinate Ioannis usque in diem, quã assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.

23. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Bárfabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam.

24. Et orantes dixerunt: Tu Dómine, qui corda nostri omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum

25. accipere locum ministerij huius, & apostolatus, de quo prævaticatus est Iudas ut abiret in locum suum.

26. Et dederunt sortes eis, & cecidit fors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apóstolis. ^A

CAPUT II.

Descensus Spiritus sancti, lingua ignita: Petri concio, ter mille ad fidem conversi, primorum fidelium mores, bona communita.

† DOM. PENTEC. 1. **E**T cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:

2. & factus est repente de cælo sonus, tamquam adveniētis spiritus vehementis, & replēvit totam domum ubi erant sedentes.

3. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum:

* Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Ioann. 7. 39. Supr. 1. 8. Inf. 11. 16. 19. 6.

4. * & replēti sunt omnes Spiritu sancto, & cepērunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

5. Erant autem in Ierúsalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.

6. Facta autem hac voce, convēnit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguã suã illos loquentes.

7. Stupēbant autem omnes, & mirabāntur, dicentes: Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt,

8. & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

9. Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,

10. Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrénen, & advenæ Románi,

11. Iudæi quoque, & Prosélyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. ^A

12. Stupēbant autem omnes, & mirabāntur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?

13. Alii autem irridētes dicebant: Quia multo pleni sunt isti.

14. † Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierúsalem univērsi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

15. Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diēi tertiã:

16. sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël:

17. * Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filia vestra, & iuvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. ^{* Isai. 44. 3: Ioël. 2. 28.}

18. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt:

19. & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi:

20. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

21. * Et erit: omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. ^{* Ioël. 2. 32. Rom. 10. 13.}

22. Viri Israëlita, audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis:

23. hunc definitio consilio, & præsciētiã Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemisistis:

24. quem Deus suscitavit, solutis doloribus infēni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

25. David enim dicit in eum: * Provi-
debam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear: ^{* Psal. 15. 8.}

26. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe:

27. Quoniam non derelinques animam meam in infēno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replēbis me iucunditate cum facie tua.

29. Vi-

* 3. Reg. 2. 10. 29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David * quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem.

* Psalm. 131. 11. 30. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando * iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius:

* Psalm. 15. 10. Inf. 13. 35. 31. providens locutus est de resurrectione Christi, quia * neque derelictus est in infēno, neque caro eius vidit corruptionem.

32. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus.

33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

* Psalm. 109. 1. 34. Non enim David ascendit in cælum: dixit autem ipse: * Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis:

35. donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

36. Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

37. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apóstolos: Quid faciemus, viri fratres?

38. Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.

39. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.

40. Aliis etiã verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini à generatione ista prava.

41. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & apposita sunt in die illa animæ circiter tria millia.

42. Erant autem perseverantes in doctrina Apóstolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

43. Fiēbat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia, & signa per Apóstolos in Ierúsalem fiebant, & metus erat magnus in univērsis.

44. Omnes etiã, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.

45. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

46. Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis,

47. collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augēbat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

CAPUT III.

Claudus ex utero matris sue sanatur à Petro; concursus populi; Petri concio secunda.

1. † Petrus autem, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. ^{† IN VIG. APOST. PETRI ET PAULI.}

2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

3. Is cum vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. ^{Eodem anno 33.}

4. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos.

5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

6. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.

7. Et apprehensa manu eius dextram, allevavit eum, & protinus consolidatae sunt bases eius, & plantæ.

8. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

10. Cognoscēbant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in eo, quod contigerat illi. ^A

11. Cum teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes.

12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlita quid miramini in hoc, aut nos quid intuimini, quasi nostram virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

13. † Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Iesum, quem vos ^{† FER. 4. POST PASCH.}

Yyyy 2 qui-